77

lor& non adorabatur. In terra nascitur homo perfectus homo totus ut saluaret totum orbem, quicquid non adsumpsit ex homine non saluabit. Si autem adsumpsit carnem & animam & non adsumpsit non saluabit. Saluauit ergo quod minus est & quod maius est non saluauit. Si enim dicunt saluauit & animam quam adsumpsit; sicut maior est anima a corpore, sic ipsius animae principalis sensus est. Si autem sensus non saluauit animam quod minus est. Sed dicit, propterea non adsumpsit humanum sensum ne uitia humana haberet in corde hoc est cogitationes malas. Si ergo ipse non potuit uincere quod fecit mihi indignatur quod non possum uincere quod ipse debuit. Obliti sumus propositum nostrum, plus diximus quam cogitaueramus. Aliud mens disposuit, aliud lingua prolapsa est. Praeparemus igitur aures nostras pontifici & quicquid a nobis minus dictum est intentius auribus audiamus benedicentes dominum. Cui sit gloria in saecula saeculorum amen.

EXPLICIT DE NATIUITATE DOMINI NOSTRI IHU XPI

INCIPIT ITERUM DE NATIUITATE DNI ET IOHANNIS BAPTISTE: ET CONCEPTIONIS DE SOLESTITIA ET AEQUINOCTIA CONCEPTIONIS ET NATIUITATIS DNI NOSTRI IHU XPI ET IOHANNIS BAPTISTAE;

NESCIO AN QUISQUAM AUSUS SIT ARCANUM fratres ante xpi natiuitatem intellegere uel terminasse cursum horarum dierum ac noctium per quas solstitia & aequinoctia cognoscere possit. Cum ob gloriosos in suis passionibus dictum sit & hoc mihi dic inquit. An scias cursum solis & lunae, quae duo utique luminaria ante constitutionem diei ac noctis institutae uideamus; quod si ergo tantus uir perseuerans in suo martyrio quemadmodum in his redargutus est, quis ille mortalium fuit

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
Bodleian Libraries UNIVERSITY OF OXFORD
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc452/0159